

restringendam, imo oppositum jam fortiter est probatum; præsertim, cum defectus natalium, etiam in jure censeatur esse reatus ipsius illegitimi. Ad ejus probationem negatur assumptum: cum enim juxta dicta, num. 26, natus ex matrimonio bona fide contracto, licet a parte rei invalido, censeatur legitimus, sicque nullam maculam moralem contrahat, quamvis revera non sit natus ex legitimo matrimonio: hinc pariter dici potest, quod ejusmodi maculam non contrahat ille filius, qui ob ignorantiam, vel insaniam parentum, natus fuit absque omnium horum culpa, dummodo hoc probari valeat. Quamquam de tali casu, utpote moraliter vix possibili, jura expresse nihil declaraverint, utpote quæ debent potius aptari ad ea, quæ frequenter et facile eveniunt, non autem perraro, l. *Nam ad ea*, 5, et seqq. ff. *de Legib.* (ADNOTATIO LV.)

30. *Filius illegitimus nequit in Ecclesia, ubi pater ejus beneficium habet, vel habuit, quodcumque beneficium obtinere.* — Quæritur V. An filius sacerdotis, sive legitimus sive illegitimus, possit ministrare in Ecclesia, cui pater ipsius præfuit? Resp. I. « Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, » filii clericorum illegitimi, quamvis ad ordines dispensati fuerint, « non possunt in Ecclesiis, ubi eorum parentes beneficium ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. » Ita habetur novissime statutum in concilio Tridentino, sess. 25, cap. xv, *de Reform.* atque ex parte concordat cap. II, et c. *Cum decorem*, 15, et c. *Ad abolendam*, 16, h. t. quamvis non fuerit tantus rigor sacrorum canonum, qualis nunc est ipsius concilii Tridentini.

31. *Nec etiam sacristam, musicum, aut alium ministrum agere.* — Et hæc conclusio, seu potius decretum Tridentinum non solum procedit in beneficiis; adeo, ut filius illegitimus non possit in his succedere patri, nec immediate, nec mediate, nisi ex dispensatione Papæ (quamvis olim mediate potuerit succedere; ut c. *Ad extirpandas*, 11, et c. *Ex transmissa*, 7, h. t.) sed etiam procedit in aliis ministeriis: ita ut in illa Ecclesia, in qua pater obtinet beneficium, filius illegiti-

mus nec possit agere sacristam, nec simplicem musicum, nec alium ministrum; prout resolvunt Navarrus, consil. 1, quæst. 17, *de Constitut.*; Garcias, part. VII, *de Beneficiis*, cap. III, n. 18, ita fuisse a sac. Congregatione decisum, referens; Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 65, n. 20, et alii. Et merito: tum quia concilium Tridentinum loc. cit. decrevit, « ne liceat filiis illegitimis in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare; » tum quia indecorum est, ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo Unigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis victimator, prout legitur in cit. c. *Cum decorem*, h. t. Accedit, quod per illegitimum filium, etiamsi musicus tantum sit, vel sacrista, aut alius minister in Ecclesia, ubi pater suus ministrat, vel ministravit, adhuc incontinentiæ paternæ memoria resuscitetur; ac proinde urgeat allata ratio concilii Tridentini.

32. *Etiamsi fuerit illegitime natus ante clericatum parentis.* — Insuper dicta conclusio, seu prohibitio concilii Tridentini, procedit non solum de filiis illegitimis presbyterorum in sacerdotio genitis, sed etiam de naturalibus procreatis ante clericatum parentum; prout a sac. Congregatione fuisse decisum, refert Garcias, cit. cap. III, n. 15, et sequitur Barbosa, d. alleg. 65, n. 6, cum aliis. Et merito: quia ratio a Tridentino concilio allata, videlicet, « ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis arceatur, » urget pariter in illegitimis ante clericatum procreatis; ac proinde idem jus de istis esse debet: præsertim, quia verba procemialia legis (ut sunt hæc) inducunt causam finalem, arg. l. ult. ff. *de Hæredib. instituend.* ac notant ibi doctores et Bartolus in l. I. ff. *de Origin. jur.* Nepotes tamen legitimi ex filio illegitimo procreati, non comprehenduntur sub dicto decreto concilii, sicque possunt obtinere beneficium avi sui; prout a sac. Congregatione concilii fuisse declaratum, refert cit. Garcias, n. 22, et Barbosa, ubi supra, n. 18, apud quos plura de his. (ADNOTATIO LVI.)

33. *Filius etiam legitimus sacerdotis, nequit immediate succedere in beneficio paterno.* — Resp. II. Loquendo etiam de legitimis filiis sacerdotum, non potest filius immediate succedere in Ecclesia, in qua pater ejus fuit proximus rector. Ita expresse habetur statutum in c. *Quoniam*, 10, et c. *Michael*, 13,

et c. *Ad extirpandas*, 11, h. t. Siquidem istud speciem continet cujusdam hæreditariæ successione in beneficiis ecclesiasticis: hæc autem successiones semper iniquæ, detestabiles ac sacris canonibus inimicæ reputantur; ut can. *Apostolica*, 8, q. 1, et cit. c. *Ad extirpandas*, h. t. et c. *Accepimus*, *de Pactis*, cum concordantiis. Hinc etiam in cap. I, *de Præbend.* dicitur, quod in bonis Ecclesiæ non succeditur jure consanguinitatis. Etenim beneficia ecclesiastica non nisi dignioribus, et magis Ecclesiæ utilibus sunt conferenda, ac solummodo per canonicam institutionem obtinenda; sicque nequitiam jure quodam hæreditario adipisci valent.

34. *Bene tamen mediate.* — Dicitur notanter in data conclusione, « immediate succedere. » Nam filius legitimus bene potest patri mediate succedere, si videlicet post patrem intercesserit alia persona media, cui beneficium illud collatum fuit, c. *Ex transmissa*, 7, h. t. Siquidem tunc cessat species successione hæreditariæ; simulque quoad filios clericorum legitimos, nihil per concilium Tridentinum reperitur innovatum: unde quoad hos, jus antiquum remanet incorrectum, l. *Præcipimus*, *C. de Appellat.*; Garcias, cit. part. VII, cap. III, n. 18; Barbosa, d. alleg. 65, n. 16; Pirhing, h. t. n. 50, et alii.

35. *Potest etiam aliud dissimile beneficium habere in Ecclesia, in qua pater ministrat.* — Et additur « succedere. » Nam aliud beneficium dissimile bene potest legitimo filio conferri etiam in eadem Ecclesia, in qua pater ministrat, text. clar. c. *Ad hæc*, 12, h. t. Insuper potest filius legitimus præesse Ecclesiæ, in qua pater sine titulo quandoque ministravit, c. *Constitutus*, 8, eod. Neque enim tunc fit successio in Ecclesia, vel beneficio, cum istud pater non præhabuerit: simulque quoad filios legitimos concilium Tridentinum nihil innovavit, ut proxime dictum.

36. *Solus Papa dispensat, ut filius immediate succedat patri in beneficio?* — Cæteroquin vero alius, quam Papa, nequit dispensare, ut filius etiam legitimus in Ecclesia paterna, seu beneficio a patre præhabito, immediate succedat, c. *Dilectus*, 17, h. t.

37. *An ab immediata successione in beneficiis, etiam excludantur consanguinei prioris beneficiarii?* — Quæritur VI. An ab immediata successione in beneficiis ecclesiasticis etiam pater, vel nepotes, aliique consanguinei prioris beneficiarii excludantur? Ratio du-

bitandi est: quia etiam his competit successio hæreditaria, seu ab intestato; unde videntur urgere jura, et rationes hactenus allatæ. His tamen non obstantibus.

38. *An ab immediata successione in beneficiis, etiam excludantur consanguinei prioris beneficiarii?* — Resp. I. Successio immediata consanguineorum collateralium in beneficiis ecclesiasticis, de jure communi non est prohibita. Ita Glossa in c. *Ad extirpandas*, 7, *Filii*, h. t. et ibi Abbas, n. 9; Fagnanus, in c. *Non sine*, n. 27, et seqq. *de Arbitris*, cum aliis. Idque desumitur ex textu dicti capituli *Non sine*, ibi: « Nepos ejus, qui sibi in Ecclesia jam dicta successit. » Nam hoc de nepote transversali, seu de nepote ex fratre vel sorore, secundum communem usum loquendi, accipiendum venit; ut notat Abbas ibid. n. 1. Concordat c. *Ex parte*, 12, *de Offic. delegat.* et c. *Accedens*, 23, *de Accusat.* ubi tales nepotes absque alia dispensatione in beneficio patrum, vel avunculi, immediate leguntur successisse, atque in tali successione judicialiter fuerunt manutenti.

39. *An pater respectu filii sui legitimi?* — Resp. II. Hoc idem de patre respectu filii sui legitimi dicendum est, quod videlicet beneficium filii sui immediate consequi absque alia dispensatione valeat. Ita a sac. Congregatione concilii 22 decembris. 1594, fuisse decisum, refert Nicolaus Garcias cit. part. VII, cap. III, n. 29, ac tenet Barbosa, d. allegat. 65, n. 17; Engel, h. t. n. 3, et communis aliorum. Ratio est: tum quia jura, quæ in oppositum afferri possent, de patre non loquuntur: ut taceatur, quod ea cæteroquin, veluti odiosa, sint restringenda; tum quia jus successione non ita intelligitur esse in ascendentibus et collateralibus, sicut in descendantibus, quos ipsa ratio naturalis ad hæreditatem vocat, l. *Cum ratio*, ff. *de Portionibus*. Simulque quia rarum est, ut filii thesaurizent parentibus, eisque beneficia relinquunt, juxta illud divi Apostoli II *Corinth.* XII, 14. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Jura vero solent constitui de iis, quæ frequenter accidunt, non quæ perraro, l. *Jura constitui*, et seqq. ff. *de Legibus*.

40. *Et nepotes respectu avi?* — Resp. III. De nepotibus respectu avi, est distinguendum. Et quidem mortuo patre suo non potest nepoli conferri immediate sui avi beneficium; quia tunc jure communi videretur succedere: secus dicendum, si adhuc vivat pater suus; quia tunc nepos, utpote in gradu remotiori,

id jure hæreditario petere non posset, nec censeretur. Ita Abbas in c. *Ad extirpandas*, n. 8, h. t. citans Innocentium, Joan. Andream, et communem; ac sequuntur Zoesius, h. t. n. 10; Engel, n. 3, et alii.

41. *Filiorum appellatione, an contineantur nepotes? Liberorum, et posterorum appellatione comprehenduntur nepotes, etiam in materia odiosa.* — Dices. Filiorum appellatione etiam nepotes continentur; ut l. *Liberorum*, ff. de *Verb. signif.* ibi: « Filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, continentur: neque enim dulciore nomine possumus nepotes quam filii, appellare. » Resp. Istud locum habere in favorabilibus; secus in odiosis, arg. §. fin. instit. *Qui testamento tutores dari*, etc. ac notat Abbas, loc. cit. n. 8, post Joan. Andream. Verumtamen nomine *liberorum*, et *posterorum*, etiam nepotes comprehendendi, quamvis materia sit odiosa, notatur in cit. §. fin. Inst. Unde inter hæc vocabula, nempe *filiorum*, *liberorum*, est notabile discrimen.

### TITULUS XVIII.

#### De Servis non ordinandis, et eorum manumissione.

1. *Liberi homines et libertini, qui?* — Quæritur I. Servi qui dicantur, et quot sint eorum genera? Ubi prænotandum, quod generalim loquendo homines, alii sint liberi, alii servi. *Liberi* homines vocantur, quibus est naturalis facultas ejus, quod cuique facere lubet, nisi quid vi, aut jure prohibeatur, §. *Et libertas*, instit. de *Jure personar.* Atque ex his alii sunt ingenui, alii libertini. *Ingenui* censentur illi, qui sunt in plena libertate, atque in hac nati fuerunt; ut §. 1. instit. de *Ingenuis*. E contra *Libertini*, seu (quod ferme idem est) *Liberti* appellantur, qui antehac fuerunt servi, et postea sunt manumissi, §. 1, instit. de *Libertinis*. His prænotatis

2. *Servi in jure qui dicantur?* — Resp. I. *Servi* in jure dicantur illi qui domino alieno contra naturam juris constitutione subjiciuntur. Ita desumitur ex §. *Servitus*, instit. de *Jure personar.* ubi hac ratione servitus ipsa definitur. Concordat can. *Jus gentium*, dist. 4. ubi servitutes jure gentium introductæ leguntur. Quæ postmodum jure quoque cano-

nico approbatæ fuerunt, ut can. *Id constitutum*, 17, q. 4, cum similibus; atque olim satis frequentes extiterunt, et ab ipsis quoque Ecclesiis acceptatæ, ut can. *Ecclesiarum*, et can. *Episcopus qui*, et can. *Ecclesiasticis*, 12, q. 2, et alibi.

3. *Triplex est servorum genus.* — Resp. II. Triplex a theologis, et canonistis, communiter assignatur genus servorum, nempe ut alii sint servi proprie dicti, alii adscriptitii, et alii originarii. Patet hoc ex diversis textibus juris, in progressu citandis. Ex his

4. *Servi proprie dicti, seu mancipia, qui?* — Servi proprie dicti (qui et *Mancipia* dicuntur) ita sunt juris domini sui, ut eos venundare possit. cit. §. *Servi*, instit. de *Jure personar.* et can. *Fugitivum*, 12, q. 2; et quidquid acquirunt domino suo acquirant: nam cum ipsi in potestate alterius sint, nihil suum habere possunt, sed totum domino suo acquirunt, l. *Acquirunt nobis*, ff. de *Acquirend. rerum domin.* Unde servitus proprie dicta mortalitati fere comparatur, l. *Servitutum*, ff. de *Reg. jur.* Neque valet matrimonium, si contrahat talis servus cum persona libera et ignorante conditionem ejus servilem, can. *Si quis ingenuus*, 29, q. 2, et c. *Ad nostram*, de *Conjug. servor.* Atque in conditione talium servorum nulla est differentia, sive fiant tales captivitate, vel nativitate, sive venditione. §. fin. instit. de *Jure personar.*

5. *Servi adscriptitii, et servi originarii, qui?* — Servi adscriptitii dicuntur illi, qui glebæ, seu prædio cuiquam colendo, sunt perpetuo addicti: unde sine consensu dominorum suorum inde discedere nequeunt. Tandem servi *originarii* appellantur, qui ex adscriptitiis nati sunt: et de his fit mentio in can. *Generalis*, et can. *Admittuntur*, et can. *Quis aut leges*, dist. 54, et alibi.

6. *Famuli pro annua mercede servientes, in sensu juris non sunt servi.* — Cæterum famuli illi, qui dominis suis pro annua mercede serviunt, in sensu juris idcirco servi non censentur, imo vere liberi sunt: unde etiam operas suas libere, cui voluerint, locare possunt.

7. *Generatim tribus potissimum modis efficitur quis servus.* — Quæritur II. Quibus modis quis fiat servus? Resp. I. Generatim loquendo tribus potissimum modis efficitur quis servus, videlicet nativitate, captivitate, ac venditione. Patet hoc ex §. *Servi autem*, instit. de *Jure personar.* ubi tres hi modi servitutem inducentes, præ cæteris enumerantur.

8. *I. Nativitate: et quid ad hoc requiratur?*

— Sic quippe imprimis *nativitate* fiunt servi qui ex matre serva nascuntur. Nam partus sequitur ventrem; ut cap. un. *De natis ex libero ventre* et l. *Partum*, C. de *Rei vindicat.* cum similibus. Quod intellige quantum ad statum libertatis, vel servitutis; non quoad originem, familiam, et honores. Cæterum, ut quis nascatur servus, requiritur, quod mater toto tempore gestati uteri fuerit serva: unde sive mater libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, sive ipsa, tempore partus facta sit libera, sive etiam medio tempore fuerit aliquando libera, infans nascitur liber, quia non debet calamitas matris, quæ semel libera iterum in servitutem redigitur, ei nocere, qui in utero est, textu clar. l. *Et servorum*, ff. de *Statu homin.* et §. *Sed et si quis instit. de Ingenuis*. Et hinc inter causas favorabiles sicque ample accipiendas, etiam connumeratur libertas, cap. ult. de *Sent. et re judicat.*

9. *II. Captivitate: et cur capti in bello dicebantur servi, seu mancipia?* — Deinde *captivitate* olim apud Romanos fiebant servi, qui in bello capti servabantur, nec occidebantur: unde etiam *Servi* sunt appellati, quasi *Servati*, item et *Mancipia*, eo quod ab hostibus manu capiebantur, unde notatur §. *Servi*, instit. de *Jure personar.*

10. *De facto capti in bello inter christianos gesto non amplius efficiuntur servi, et cur?* — Verum de facto generali et antiquissima consuetudine receptum est, ut capti in bello inter christianos gesto libertatem non amittant, nec servi fiant, sed præstito redemptionis lytro liberi abeant. Cui laudabili consuetudini favet textus in can. *Cum Redemptor*, 12, q. 2, ubi dicitur, quod ad exemplum Redemptoris nostri, qui assumpta carne humana, et disrupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis, pristinae nos restituit libertati, salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, et jus gentium jugo substituit servitutis, manumittentis beneficio nativæ reddantur libertati. Qua proinde causa de facto inter christianos rarius reperiuntur servi proprie dicti.

11. *Bene tamen capti in bello contra infideles, v. g. Turcas gesto.* — Excipiuntur tamen hinc capti in bello justo contra infideles, ut puta Turcas gesto. Tunc enim, quemadmodum Turcæ nostros, sic et nostri jure talionis Turcas captos pro servis habent, ut dediscant insolentiam contra christianos ab ipsis exerceri solitam.

12. *Christiani in servitutem Turcicam abducti, a nobis reputantur liberi. Unde valet testamentum ab ipsis conditum.* — Nihilominus Christiani in servitutem Turcicam abducti, a nobis ex recepta laudabili consuetudine pro servis non habentur quoad effectum juris, sed ob dignitatem Christiani nominis adhuc reputantur liberi, omniumque jurium capaces: et hoc, tum ne afflictis addatur afflictio, Covarruvias, in cap. *Peccatum*, de *Reg. jur.* in 6, part. II, §. 11, num. 6; tum etiam, ne nos tyrannidi infidelium quoquo modo subscribere videamur. Engel h. t. n. 3. Unde non solum valebit testamentum ab ipsis ante captivitatem conditum; sed etiam, si fecerint testamentum durante sua captivitate Turcica, illud easdem vires habebit, ac si conditum fuisset ab aliquo in plena libertate constituto: quidquid olim de jure Romanorum receptum fuerit.

13. *III. Venditione quis fit servus?* — *Venditione* tandem fit aliquis servus, cum homo liber, major viginti annis, ad pretium participandum se venundari passus est, §. *Servi autem*, instit. de *Jure personar.* Ubi Glossa *Y. Venundari*, hoc extendit ad quemlibet alium titulum, quo quis patitur se transferri in alium: ut l. *Si usumfructum*, ff. de *Liberali causa*.

14. *Quibus aliis modis quis efficiatur servus?* — Dicitur notanter num. 7: « Tribus potissimum modis efficitur quis servus. » Licet enim hi tres præcipui modi, quibus id communiter accidit, nihilominus etiam aliis quibusdam modis potest quis in servitutem redigi; utpote per revocationem ingrati liberti in servitutem, l. 2, C. de *Libertis*. Item auctoritate principis ob insigne delictum, l. de *Latronum*, C. *Quibus ad libertatem*, etc. ac hujusmodi: quæ tamen de facto inter christianos ferme exoleverunt.

15. *Servi proprie dicti, ac etiam servi adscriptitii, et originarii, prohibentur ordinari absque consensu dominorum.* Quæritur III. An et cur servi ordinari prohibeantur? Resp. I. Certum est, quod non solum servi proprie dicti, seu mancipia; sed etiam servi adscriptitii, atque originarii, ignorantibus, aut invitis dominis suis, ordinare vetentur. Patet hoc imprimis ex rubrica præsentis tituli, quæ generaliter inscribitur, « De servis non ordinandis: » atque ideo, quia continet sensum perfectum, valet argumentum ab ipso depromptum, ut dictum in Proœmio, §. 6 n. 96, et seqq. Id ipsum constat, ex cap. 1, et c.